ANIMADVERSIONES IN TRACTATUM NEURALGIARUM A DOCTORE T.P. TEALE NUPER IN...

Giuseppe Vandoni



ANIMADVERSIONES
IN TRACTATUM NEURALGIARUM
A DOCTORE
T. P. TEALE
NUPER IN LUCEM EDITUM

QUAS
ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE
FRANCISCO MARABELLI
CHEMIAE PROF. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI
Mense Septembris An. MDCCCXXXI
UNA CUM THESIBUS ADNEXIS
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT
JOSEPH VANDONI
MEDIOLANENSIS.

TICINI REGII
Ex Typ. P. Bizzoni
I. R. Universitatis Typograph.



ANIMADVERSIONES

IN TRACTATUM NEURALGIARUM

A DOCTORE

T. P. TEALE

NUPER IN LUCEM EDITUM.

Plurium neurosium essentia est adhuc obscura, et immo in ullis ipsarum casibus impossibile prorsus videtur eam ratiocinationis ac sensuum ope declarare, quamquam notiones ex vero amplissimae de physiologia et pathologia hisce temporibus sint acquisitae. Ex difficultatibus istiusmodi, quibus neurosium caussa proxima involvitur, et eo magis ex dicta impossibilitate, in qua versamur, hac de re verum sciendi, evenit, ut cura directa contra illarum nonnullas adhiberi adhuc non possit, ideoque tunc empiricam tantum in usum trahere medici cogantur. Methodus autem hic non semper in scopo aeque respondet: inde curationes diutinae absque aegrorum levamine, impensae magnae in nullum rei usum actae, incommoda, quae familias circumveniunt, ex hisce nascentia, efficiunt simul, ut jure liceat asserere, neuroses ullas medicinae esse opprobrio.

Quae cum ita sint, profecto laudes tribuendae illis, qui ad partem hanc pathologiae specialis operam suam conferunt, et student naturam atque essentiam neurosium obscuriorum nosse, ut consequenter etiam eluceat, qua nam therapia rationali contra easdem uti conveniat. Medicorum multi flagrarunt temporibus diversis desiderio hujusmodi, et difficilem strenui labyrinthum ingressi sunt; sed non omnes Ariadnaeum filum manu sat firma stringebant; qua propter de via plerique declinantes oleum et operam perdidere. Pauci hac de re progressibus scientiae ex vero faverunt; plures in gratiam systematum et theoriarum specialium praeoccupati visi sunt aspicere quod erat in eorum votis, sed non aspexerunt sane quod inquisitiones, factum et experientia iisdem sub sensus offerebant. Hinc res absurdas nonnulli ipsorum vulgarunt; alii defensionem fallacium susceperunt axiomatum; reliqui tempus impendere in propugnandas veritates a paucis detectas et aegre humanitati utilissimas. Melius certe fuisset, hos nunquam in istiusmodi negotio se occupasse.

Inter varias neurosium formas, quibus humanum corpus conflictari potest, attentionem pathologorum aetate nostra prae ceteris concitarunt neuralgiae sic dictae. Scriptores plures argumentum tractarunt aut leviter aut fusius. Quis

laborem sibi imposuit limites statuendi, quos intra vocabulum neuralgiam opus est circumscribere: quis in earum essentiam inquirere studuit: quis denique maluit experiri et cognoscere auxilia, quae iisdem medentur. Consilium vere optimum ipsis erat: sed contigit quod de neuropathiis in genere jam dictum est. Inter eos enim fuerunt qui confusionem introducere, quin partem hanc scientiae ad altiorem perfectionis gradum promoverent, ex totis viribus studuere. Ipsi terminos neuralgiis jam positos alterarunt; has cum neurosibus quoad formam et essentiam prorsus diversis, confuderunt: hinc erronee arbitrati sunt, methodum curae in casu harum efficacem, illis aeque fidenter opponendam. Scriptoribus istiusmodi accensere non haereo doctorem *T. P. Teale*, qui tractatum neuralgiarum nuper edidit. Confusionem nunc memoratam et erroneas hinc illatas conclusiones exhibet opella. Constitui ergo, ut ratione aliqua muneri academico satisfaciam, ullás animadversiones in tractatum ipsum exponere, quibus innotescant mendae, in quas, ex debili mea sententia, auctor est lapsus.

Secundum neuralgiae ideam recentiorem, pathologis aevi nostri acceptam, potest ipsa definiri = pathologica quaedam nervi conditio, quae generatim innotescit dolore acuto, plerumque periodico, plus minusve intermittente, et qui a pe-

ripheria nervi ipsius ad originem difunditur — Ex hac definitione eruere jam fas est, qui nervi substratum neuralgiae praestent; quae hujusce essentia probabilior existimanda; in quo nam differat ab aliis neuropathiis, cum quibus confundi posset; quae demum auxilia ipsi mederi valeant.

Nonnulli, cum neuralgiae characterem seu phoenomenon pathognomonicum agnovissent in praesentia doloris plus minusve intensi secus nervi alicujus cursum, partem corporis quamcumque ipse occupet, et intermittens, periodicus sit nec ne, opinionem ferebant, nervos omnes huic adfectioni obnoxios esse; nam ex historia observationum clinicarum compertum erat, in quacumque corporis parte tam externa quam interiori signum istiusmodi quandoque se offerre. Hinc patet, neuralgiam proprie dictam ipsos tunc confudisse, nisi cum rheumatismo inflammatorio et aliis similibus morbis dolorosis, saltem cum nervorum et neurilematis phlogosi.

Qui autem neuralgiarum naturae penitiori et cursui his temporibus studuerunt, talem adversati sunt opinionem, et limites posuerunt neuralgiis strictiores, tum quod ad morbi formam, cum quod ad ejusdem attinet substratum. Proficiscentes ex vera doloris ratione, ex conditione partium ubi excitatur, ex cursu quem tenet, non solum denegarunt, dolorem omnem, qui ubi

vis corporis locorum insurgit, ex nomine neuralgiae jure vocandum; sed statuere etiam non omnes corporis nervos sedem neuralgiae largiri posse.

Teale, quin notionibus hac de re vulgatis proficiens materiem eo magis clariorem redderet et sub omni respectu neuralgiarum pathologiam ac therapiam studeret ad alteriorem perfectionis gradum promovere; confusionem progressibus scientiae ex vero damnosam nuper introduxit, in hoc adfectionum genere alias et quo ad substratum et quo ad essentiam et quo ad formam liquido diversas comprehendendo, et ita limites prudenter eidem jam positos immerito praeter modum dilatando. Ipse neuralgiae nomen extendit multis nervorum adfectionibus aliis, quae neque dolore acuto, intermittente, nec continuo quidem designantur: neuralgias admittit sine dolore quovis, ex tali nomine vocans nervorum morbos, qui tantum in statu laesionis eorundem functionum consistunt. Reapse inter neuralgias recenset dolores quoscumque, spasmum, convulsiones, tremores et diversas alias functionum nervorum turbas, paralysi solum excepta.

Ex hisce colligitur praemissam definitionem neuralgias a *Teale* admissas nequaquam amplecti posse. Etenim has inter comprehendit non solum algemata, sed dolores inflammatorios, rheumatismum partium diversarum, nervorum et neurile-

matis phlogoses, tetanum universalem et topicum; varias pseudochinesiarum formas, etc. Terminos tam latos sic neuralgiis ipse constituit, ut nulla equidem definitione eas sat distincte significare nemo medicorum valeret. Ex altera parte elucet, auctorem ita et colligasse simul ac in eodem typo adfectiones inter se multum differentes quo ad substratum, ad essentiam, ad formam, uti superius monui; et fallaci istiusmodi principio innixus dein lapsus est in errorem statuendo communem omnibus et singulis hisce neuralgiis essentiam aut caussam proximam, uti inferius demonstrare animo consilium est.

Nomine neuralgiarum nuncupandae sunt illae dumtaxat neuroses, quae in aliqua corporis parte innotescunt, ex praebita definitione, dolore acuto quasi lancinante seu perfodiente, ex intervallis interrupto, qui nempe inducias perfecte anodynas alternat cum tollerabili partis adfectae exercitio; qui non exacerbatur hujus compressione, et immo sub eadem, maxime in truncum nerveum acta, se imminuit aut prorsus evanescit; quem non comitantur rubor, calor auctior et tumor loci dolentis, ceu phlogoseos, aut irritationis subinflammatoriae totidem conditiones. Hos inter limites circumscribenda neuralgia *vera, genuina*, a nonnullis *spasmodica* dicta. Hinc patet ad ipsam referri non posse alias adfectiones quae, passio eminens

quamquam nervis haereat, pathognomonicum illud symptoma, nempe dolorem acutum, lancinantem haud praeseferunt; neque illas, ubi, tametsi dolor plus minusve adsit acutus, nihilosecius continuus est, ex intervallis haud prorsus cessat, ut iterum non minus atrox de repente insurgat; aut unam de conditionibus praesentis phlogoseos sistat, in quo casu, praeterquamquod ipse intermittens non sit, aeger loci dolentis pressionem non perfert absque doloris ipsius exacerbatione. — Hisce positis, sequitur, neuralgiam esse morbum formae peculiaris, cum spasmo tonico, cum convulsionibus, cum nervorum et neurilematis phlogosi, cum rheumatismo haud confundendum, et *Teale* immerito neuralgiae nomine nuncupatum esse adfectiones omnes, quae laesis ratione aliqua nervorum functionibus se praebent, una paralysi excepta.

Menda altera, in quam *Teale* est lapsus ob dictam neuralgiis magnam extensionem ab ipso assignatam, in eo posita est, quod harum adfectionum substratum nervos omnes indiscriminatim statuerit. Si auctor de neuralgia locutus esset juxta communiorem verbi sensum, seu pathologis generatim acceptum, talis equidem non fuisset sententiae. Reapse, in casu neuralgiae unica functio nervorum, quae laesa innotescit, est sensibilitas praeter modum adaucta; et ideo substra-

tum morbi largiuntur dumtaxat nervi, qui coenaesthesin regunt, seu *muneribus automaticis vitae conformatricis* praesunt, nervi gangliares sic dicti. Dolor acutissimus, lancinans, intermittens, qui characterem sistit neuralgiae pathognomonicum, nil aliud est, quam auctioris sensibilitatis expressio; et cum instrumenta sensibilitatis nunc a physiologis declarentur nervi dumtaxat adparatus gangliosi; sequitur illico, hos tantum adfectioni sedem praebere. Hinc nova elucet ratio, qua nevralgias a spasmo tonico, a convulsionibus, a tremore, a debilitate distinguere, et formas hasce morbosas generibus aliis accensere, oportet. Nevralgia enim expressio vivissima est auctioris sensibilitatis, cujus instrumenta sunt nervi gangliares; et spasmus, convulsio, tremor, debilitas totidem constituunt motuum laesiones, quorum caussa proxima quaerenda est in nervis motoriis, seu qui motus dirigunt, aut in centris systematis nervosi, unde voluntatis nutus per nervos ipsos ad organa motus voluntarii transmittuntur.

Tamquam neuralgiarum substratum *Teale* omnes considerans nervos, ponit has adfectiones posse in quavis corporis parte se offerre. Exceptis, ut nuper dixi, nervis etiam motoriis, omnis organismi pars reapse videretur neuralgiis obnoxia; quod pars omnis alibilis praedita est nervis gangliosis, qui organicas ejusdem functiones guber-

mant. Experientia tamen hactenus docet, quasdam corporis partes prae ceteris morbo corripi; et hinc originem habuere variae neuralgiae denominationes aut species a scriptoribus recensitae, diversis nempe corporis partibus, ubi ipsa excruciat, respondentes. Sic celeber *Chaussier* neuralgiam in novem species divisit; nempe in 1. frontalem; 2. suborbitalem, quam subdivisit in suborbito-nasalem, labialem, palpebralem et dentalem; 3. maxillarem; 4. intercostalem; 5. cubito-digitalem; 6. ileo-cruralem; 7. femoro-pretibialem; 8. femoro-popliteam; 9. plantarem. Deinceps *Coussays* neuralgiam lumbarem et *Barras* spermaticam descripserunt. Sed neuralgiis hisce aliae merito adjungi queunt, relate ad substratum et formam ab iisdem nequaquam differentes. Tales ex mea sententia forent hemicrania solaris, seu metopodynia, mastodynia, cardiogmus, gastrodynia, enteralgia, hysteralgia et adfectiones consimiles. Eadem ratione haud denego pertinere ad neuralgias incommoda illa, quae *Chaussier* neuralgias anomalas, eraticas nuncupavit, quando se offerunt sub schemate doloris acutissimi, lancinantis, intermittentis, et ideo alterius morbi primarii simplex non sistunt epiphoenomenon. Attamen longe sum quominus defendam, neuralgias ex verbi sensu in quavis organismi parte haud se offerre, et partes ullas prae ceteris hoc morbo corripi,

praeterquamquod ad ipsum referri velint sensus molesti et laesiones functionum systematis nervosi omnes, quae sub schemate diverso externe aut interne contingunt.

Si transeamus nunc ad neuralgiarum essentiam, hic quoque prospicitur auctor ex praemissa ipsarum idea relate ad extensionem illis assignatam, in conclusiones rationi et factis minime congruas incidisse. Magni equidem momenti est quaestio, quae ad nervi adfecti in casu excruciantis neuralgiae conditionem spectat. Jam ab initio praemisi, essentiam ejus esse valde obscuram, et in praesenti statu cognitionum medicarum ad explicandum quasi impossibilem. Num posita est in conditione illa pathologica, quae irritatio a nonnullis dicitur; num potius in nervi aut neurilematis inflammatione? Ut scienter loquar, neuralgia est simplex nervosa irritatio, intra limites adfectionis mere dynamicae; num neuritis, vel neurilemitis? Responsum huic quaestioni influit delectui methodi ejusdem curae; et doctoris *Teale* erat munus ad illud animum adhibere, prius quam medelam contra adfectiones varias ab ipso sub nomine neuralgiae comprehensas proponeret. Is de hacce ommissione nequaquam se excusare poterit. Convenio tamen, scriptores multos famigerabiles circa neuralgiae essentiam evulgasse cogitatus absurdos, e diametro oppositos; et inter certamina hac de

re nunc quoque acta difficillimum esse ad satisfacientem conclusionem prodire. Hoc probant ullae de multis opinionibus circa materiem istiusmodi prolatis, et quas referre hic placet.

Cotugnus neuralgiam derivabat ab accretione humoris in nervo adfecto; quod ipse in casu ischialgiae viderat. *Siebold* nervum intercostalem aspexit rubrum et volumine imminutum. *Cirillus* nervum adfectum observaverat crassiorem et magis durum. *Bichat* et *Chaussier* nervum ischiaticum invenerunt auctiorem, et ejusdem vasa turgida ac varicosa. *Vandkeer* neurilema reperuit sanguine rubescens, auctius, opacum, et quadam portione in os mutatum. *Halford* constituit, in quibusdam casibus exostosim nervum comprimere. Porro, ab anatome pathologica alii testantur se didicisse, tubercola, tumores cancerosos vel alterius naturae nervo quandoque haerere et in caussa esse neuralgiae. Contusiones et vulnera nervi alias induxerunt alterationes organicas diversas, unde morbus originem duxit. *Martinet* aspexit nervum medianum coloris obscuro-rubri ad pollicis longitudinem. Ipse describit quoque effusionem in nervum ischiaticum aut serosam, aut sanguineam, aut purulentam. *Swan* observavit substantiam nervi tibialis exulceratam. *Portal*, *Home*, *Sidillot*, *Berrard* et *Pring* differentes nervi tumores descripserunt, tamquam neuralgiae occasiones.

Facta istiusmodi clare probant, irritamenta topica, inflammationem nervi adfecti aut ejusdem neurilematis acutam vel chronicam caussas neuralgiae communissimas fuisse. *Teale* ab auctoribus, qui in hisce exemplis nixi inflammationem nervi pro morbi causa habuerunt, haud longe recedit: ipse neuralgiarum essentiam in congestione aut inflammatione aeque reponit; sed arbitratur, immo statuit, originem nervi adfecti esse praecipuam morbi sedem, et assertionem suam roborat multis casibus topica depletione sanguinis ex spina dorsali curatis. Casus istiusmodi, tamen, non erant exempla neuralgiae, secundum verbi sensum pathologis generatim acceptum. Si tamquam verum admittatur quod ab allegatis auctoribus visum et exogitatum fuit; elucet, topicam depletionem prope nervi adfecti originem in dictis casibus nullius esse adjumenti potuisse. Sed hac de re animadvertere oportet, quod si etiam concessas haberemus dictorum pathologorum sententias, nempe congestionem aut phlogosim vigere in extremitatibus, vel secus truncum, vel ad originem nervi adfecti; conditio haec pathologica nequaquam conciliari posset cum perfecta neuralgiarum intermissione et periodo. Usque eo dum causa morbi (phlogosis vel congestio) perdurat, effectus morbi pariter deesse nequit; quod in casu neuralgiae non obtinet. Nec *Beclardi* conclusio rem facit cla-

riorem; etsi quisque facile cum eo conveniet, effusionem seri in tunicam nervi cellularem; hujus adhaesionem partibus vicinis; ulcera secus ipsius trajectum; ejusdem mollitiem, suppurationem, augmentum voluminis, adhaesiones morbosis adjacentibus articulis, tumores circumscriptos, metamorphoses cartilagineas, osseas, calcareas, inflammationis esse effectum. Neque una, neque omnes hae conditiones pathologicae rationem neuralgiae intermittentis, periodicae reddunt. Quousque inflammatio aut congestio activa neurilematis vel nervi viget, necessario praesunt conditiones nunquam interruptae, e statu partium istiusmodi proxime nascentes: et quoniam nec rationi, nec factis congruit, inflammationem excitari, dein extingui, iterum apparere, evanescere et pluries sic porro, illa vicissitudine ac de repente, uti in casu verae neuralgiae observatur; mihi videor concludi merito posse, inflammationem nequaquam constituere veracem hujus essentiam. Eatenus neuritis aut neurilemitis perdurat, dolor numquam intermittit prorsus; compressio loci dolentis est intollerabilis, calor valde adauctus, tumor sensibilis, ubi de externa agatur, et febris inflammatoria incommoda istiusmodi comitatur. In praxi reapse hic status rerum occurrit; et phoenomenis nuper recensitis distinguitur inflammatio nervi aut neurilematis a genuina neuralgia, in qua, dolore lan-

cinante excepto, desunt topicae phlogoseos conditiones et febris. Si in quibusdam casibus neuralgiae pertinacis, excruciantis, diutinae tandem notae apparent etiam localis inflammationis; *secundaria* haec jure dicenda: etenim ubi dolor, huc major sanguinis adfluxus; et cum humoris hujusce congestio topica adjungitur nervosae irritationi jam praeexistenti, simplex neuralgia mutatur in veram phlogosim; quod duo momenta necessaria tunc connectuntur, unde processus iste dynamico-materialis evolvitur. Exinde patet cur in cadaveribus illorum, qui neuralgiam vita durante erant passi, per anatomen repertae quandoque sint organicae nervi adfecti alterationes, quae nil aliud erant nisi totidem effectus et ideo testes inflammationis praegressae. Hacce extincta et in aliquam dictarum terminationum versa, fortasse neuralgia in individuis illis usque ad mortem etiam continuaverit, vel prius inflammatione, vel post ipsam coeperit. In utroque casu tamen non credo, dictas alterationes, ceu phlogoseos posthuma, causam proximam illius fuisse. Si neuralgia inflammationi praecesserat, ipsae non poterant sane illi originem praebere; si vero post inflammationem coepit, in hoc casu non licet neuralgiam ex iisdem derivare; nam earum continua, numquam interrupta praesentia et influxus conciliari non possent cum neuralgiae intermissione

et periodo, non secus ac de inflammatione superius dictum est. Causa proxima et morbus inde exoriens non possunt separate considerari, neque una ab altero disjuncta animo concipitur. Quamobrem circa argumentum hocce non haereo inferre, posthuma diversa inflammationis nervorum, neurilematis, aut eorundem laesionum, vulnerum, etc. non esse caussam proximam neuralgiae ipsa comitantis, sed momentum constituere modo proegumenum, quo nervus ita adfectus dispositionem specialem in neuralgiam acquirit.

Igitur in quonam consistit neuralgiarum essentia? Neuralgia, uti jam dixi, est morbus mere dynamicus; laesio tantum functionis partis adfectae, nulla materialis mutatio in ipsa contingit. Principium aut efficientia, aut occulta nobis conditio organica, quae munus nervi sensitivi gubernat, mutationem aliquam contra naturam certe patitur; sed eatenus physiologia non perveniet ad principii, aut efficientiae, aut peculiaris conditionis organicae istiusmodi perfectam cognitionem, pathologi aeque impares erunt essentiae neuralgiarum explicandae. Incitatio *Brunonis* praeter modum adaucta in fibrilis nervi adfecti ob alteratam inter horum incitabilitatem et stimulos agentes relationem normalem; spiritus animationis *Darwinii*, aut efficientiae nervosae, aut principii biotici aliorum inaequabilis dispensatio; ejus in

fibrilis nerveis dolentibus nimia coacervatio, aut tensio; dolor inde enascens ob laesum normale commercium inter sensibilitatem et stimulorum impressiones; temporaria anodynia quae post exauctam nimiam incitabilitatem, aut effectam spiritus nervei excedentis dissipationem obtinet; ejusdem scenae renovatio, simulac incitatio nervea praeter modum intenditur, aut efficientiae nervosae seu principii biotici nova adcumulatio contingit; — *generales*, dicam cum *Hildenbrand*, *duntaxat forent ideae, quas rationis face et physiologiae philosophicae adjumento excolere et illustrare Naturae curiosis relinquimus.* — Hoc igitur argumento omisso, ad curam procedamus, oportet.

Arbitratur *Teale*, caussam proximam omnium neuralgiarum haerere centris systematis nervosi, et praecise illis eorumdem locis, unde nervi, quorum functiones sunt laesae, oriuntur. Ex hoc ipse constituit, medelam non partibus, quibus nervi adfecti distribuuntur, ast loco, qui neuralgiae sedi proxime respondet, admovendam. Et quoniam nervi, quorum functiones in neuralgiis laeduntur, originem ducunt vel a cerebro, vel a medulla spinali, vel a magno nervo sympathico; sic uni, vel alteri horum systematis nervosi centrorum ex sententia auctoris remedia medicus applicare debet.

Superius animadverti, nomine neuralgiae a *Tea*-

le nuncupari non tantum formam illam morbosam, quae a pathologis sic vocatur, ast omnes adfectiones externas atque internas quae nervorum functionis et influxus in munera musculorum ac viscerum omnium laesionem exprimunt, una paralysi excepta. Exinde patet necessariam esse morborum, quos neuralgiis ipse accensuit, in duas saltem provincias distinctionem: amplectitur una laesiones functionis nervorum qui motui musculari sive voluntario eminenter inserviunt; altera laesiones functionis nervorum qui vitae organicae consulunt: ad priores attinent spasmus tonicus, convulsio, tremor, debilitas, paralysis; ad secundas neuralgia proprie dicta, disphoria, formae differentes cephalalgiae nervosae, ophtalmodynia, ottalgia, pleurodynia, cardiogmus, cardialgia, hepatalgia, enteralgia, mirmechismus et ceterae adfectiones, quae laesam facultatem sentiendi plus minusve significant. Si de prioribus, idest de laesionibus motus voluntarii sermo est, convenit inter me et auctorem, caussam earum proximam haerere centro nervoso, idest vel cerebro vel medullae spinali, unde nascuntur nervi, per quos nutus voluntatis ex centro eodem transmittuntur ad partes, ubi laesio efficientiae nervosae innotescit. Si vero loquimur de laesa sentiendi facultate; in hoc casu sedes morbi est locus, ubi dolor, disphoria, mirmechismus, ardor, frigus, aut mo-

lesta alia sensatio in scenam prodit; nam receptivitas pro stimulorum impressionibus inest peripheriae nervi sensitivi, et ex hacce ad respondens centrum nervosum impressiones in ipsam actae per nervum transmittuntur. In peripheria nervorum sensitivorum organica exercetur sensibilitas; et quotiescumque facultas eorum sentiendi laesa est; sedes adfectionis recognoscenda eo loci, ubi symptomata apparent. « *Quivis dolor*, celeberrimus *Hildenbrand* ait, *tamquam vivissima sensibilitatis organicae expressio, nisum vitalem centripetum, spasmus vero centrifugum in nervis praeter normam sollicitatum supponit. Tali pacto causa motrix doloris in nervorum finibus, spasmi contra in centris quaerenda.* » Haud raro evenit, ut, perdurante neuralgia, vel motus convulsi, vel spasmus, vel debilitas, vel paralysis ipsa musculorum loci adfecti eodem tempore divexent. Hoc non derivatur ex eo quod nervi aut eorum fibrillae sensui communi inservientes et sedes neuralgiae dictis adfectionibus aeque substratum praestent; sed ex irritatione nervosa a peripheria nervi aut fibrarum sensitivarum usque ad medullam vel ad cerebrum difusa, unde per phoenomena istiusmodi innotescit: haecce irritationis centri nervosi per decursum nervi in parte adfecta sub schemate spasmi aut convulsionis, aut alio se manifestantis; dolor autem irritationis peripheriae

sensitivae expressio est. Nam *ubi unius*, prosequitur *Hildenbrand*, *alteriusve generis impetus nimis praepollet, ac disparilitas motuum organicorum insignem adipiscitur gradum, synergiam efficientiae e diametro oppositae provocat secundum vigentes antagonismi vitalis leges; unde dolor vehemens spasmum, spasmus fortior dolorem parit.*

Concedam igitur, therapiam in centrum nervosum, et praecise eo loci unde nervi partis adfectae oriuntur, dirigendam esse quotiescumque agatur de laesa motuum voluntariorum facultate: quo in casu saepissime formae morbosae se dant socia symptomata alia, quae topicam centri nervosi primariam indicant passionem. Sed in casu neuralgiae secundum verbi sensum pathologis acceptum phoenomena adfectionis primariae centri nervosi respondentis nunquam praesunt; et cura directe instituenda, ut nervosa irritatio partis, ubi cruciatus vexant, idoneis remediis compescatur.

Medela, quae generatim contra neuralgias prodest, cogitata istiusmodi de earum sede et essentia satis confirmat. Revera docet experientia, eductiones sanguinis universales ac topicas, purgantia, emetica et similia verae neuralgiae nunquam mederi, frequenter imo exacerbare. Contra, adjumenti sunt medicamina, quae nimiam sensibilitatem compescunt, tonicitatem organismi roborant, vel morbosam irritationem alio revellunt. Priori scopo

hyosciamus, belladonna, oxydum zinci, magisterum bismuti, lactuca virosa, opium ejusque praeparata, uti essent extractum, laudanum liquidum, acetas morphii; pulveres de mosco, opio et mercurio dulci; scopo altero flores arnicae, valeriana, subcarbonas ferri, cortex peruvianus auxilio juvant. De auxiliis hisce non refert longius disserere; medici enim omnes sciunt, ipsa constituere phalangem pharmaceuticam unde remedia generatim seligimus ad morbum compescendum. Solum animadvertere consilium est, nullum ipsorum in virtute pollere phlogoseos eradicandae et omnia incassum contra morbum adhibitum iri, si conditio haec pathologica caussam neuralgiae proximam constitueret. Tertiam explent spartam auxilia, quae revellentia audiunt. Huc pertinent vesicantia, epispastica, rubefacientia diversis substantiis composita et externe aut loco neuralgiae respondenti, aut partibus ab ipsa plus minusve remotis admota. Auxilia istiusmodi, ob antagonisticas organismi leges, irritationem, quae in caussa proxima neuralgiae est, ex loco dolente derivant eo ubi applicantur, et ita finem adfectioni ponunt. Haud secus agunt frictiones stibiatae vel alius naturae ad eruptionem pustulosam aut vesiculosam cuti inducendam; nec non frictiones mercuriales et usus mercurii internus usque eo dum vehemens ac diutina excitetur salivatio. Si

remedia istiusmodi mederentur neuralgiae quod phlogosim in cute vel in glandulis salivalibus producendo inflammationem extinguunt vel nervi, vel neurilematis, vel alicujus centri nervosi, causam ex auctorum sententia neuralgiae proximam; eosdem salutares effectus ederent in casu inflammationis viscerum aut membranarum capitis, pectoris et abdominis; quod certe in praxi non confirmatur. Discrimen ex eo oritur, quod methodus antagonistica usu revellentium valet simplicem irritationem nervosam amovere, non autem processum phlogoseos dynamico-materialem extinguere. Et quo ad efficaciam specialiter praeparatorum mercurialium, refert considerare, ipsa prae ceteris auxiliis contra neuralgiam, maxime diutinam, pertinacem, emolumentum afferre, quod omnium potentissima simul innotescant ad solvendum et eradicandum posthuma, exitus, consecutiones phlogoseos jam supra recensitas, quae si caussam proximam neuralgiae ex vero non constituunt, saltem quousque existunt, momentum proegumenum sunt, quo nervi aut fibrillae sensitivae ita adfectae specialem in neuralgiam diutinam induunt dispositionem.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE

I.

In praxi nullus se offert morbus alteri prorsus similis.

II.

Morborum omnium essentiam in phlogosi duntaxat ponere absurdum est.

III.

Inflammationi quandoque et adstringentia medentur.

IV.

Calor et frigus inflammationem aeque inducere et sanare valent.

V.

Sphaera nervosa gangliaris medullari et cerebrali sic dictae nobilitate praestat.

VI.

Philosophia Medicinae progressibus obstat.

VII.

Impossibile est rationem actionis medicaminum in organismi penetralia satisfacientem reddere.